

1377. 29 Aprilis.

Ex Michovia Nakelsui.

509.

Miechoviens;

141

142

In Christi nomine amen. Sub anno Nativita-
tis Domini, millesimo tercentesimo septuage-
simo septimo, indictione nona, et die vige-
sima nona mensis Aprilis, hora tertiarum
vel quasi, in domo habitationis nostrae, sita in
librata Domini Cardinalis Hostiensis: religio-
sus vir Frater Benedictus Ordinis Sancti Au-
gustini, Domini sepulchri Hierosolymitani de
Domo Miechoviensi, nostra in presentia, me-
ique publici notarii, ac testium subscriptorum,
et ad hoc specialiter vocatorum atque rogato-
rum constitutus. Instrumentum manu publi-
ca confectum, Sigillo Praepositi Miechovien-
presso pargameni eidem appenso communitum, nobis
exhibuit humiliter, in quo ipsum apparebat manife-
ste esse procuratorem idoneum ac sufficientem, Religi-
osi Viri Domini Nicolai dicti Coniusa quodam Prae-
positi Miechoviensis, ad renunciandum, absceden-
dum, et resignandum nomine ipsius Nicolai dictae
Praepositurae Miechoviensis, et omni iure, si quod
dictus Nicolaus habebat, vel habere dignoscebatur
in eadem. Quapropter idem Frater Benedictus, fre-
tus auctoritate sibi ad successionem supradicta com-
missa nobis humiliter cum decencia qua decet sup-
plicavit, quatenus cessionem, et renunciationem
dicti Nicolai benigne admittere dignaremur al-
legans ipsius defectum et impotentiam, propter
incurrabilis infirmitatis, qua tenetur, gravamen,
ad regimen et administrationem Praepositurae sibi
commissa, quod et ipse Nicolaus suis literis no-
bis humiliter insinuans declaravit. Nos igitur
habita deliberatione et consilio super hoc iurispe-
ratorum diligenter requisito, inclinatis precibus
dicti Benedicti Fratris, predictam cessionem et
renuntiati-

Monastica.

renunciationem, servato iuris ordine, admissus, et
eodem Benedicto, nomine ipsius Nicolai, viva voce,
coram nobis, dictae Prepositurae, et omni iuri, quod
dictus Nicolaus in eadem habebat, vel habere vide-
batur, cedente ac renunciante, ad manus nostras
recipimus, iuris solennitate circa talia observata:
Præsentibus religiosis Viris, videlicet Fratre Henri-
co Penitentiaro Colonia. Fratre Joanne Peliparis,
Ordinis Fratrum Prædicatorum Nantonen. Diæce-
sis, Francisco de Beure Morinen Diæcesis, et Jo-
anne Bovisdico Riven Diæcesis. Quam quidem
renuntiationem rite et rationabiliter per ipsum
Frater Benedictus, factam, nomine quo supra di-
ctus Frater Benedictus, a me publico Notario pe-
tuit, in publicam formam redigi, nomine et signo
nostris communiri, et ad maiorem cautelam, atq;
facti evidentiam, nostri Patriarchatus Sigillo ap-
penso roborari. Actum et datum die, hora, et men-
se, atque loco quibus supra, Pontificatus Sanctis-
simi in Christo Patris et Domini nostri, Domi-
ni Gregorii, divina providentia Papa Undecimi
Anno primo, prænominatis testibus ad hoc spe-
cialiter vocatis et rogatis.

Et ego Arnoldus de Monte alto Cleri-
cus Auxiten. Diæcesis, publicus Aposto-
lica autoritate Notarius, præmissis o-
mnibus, una cum prænominatis testi-
bus præsens fui, Anno, Indictione, die,
mense Pontificatus et locis superius an-
notatis: eaque omnia prout scripta
sunt et leguntur, fieri vidi, audivi, pu-
blicavi, et in hanc publicam formam re-
degi, aliis quoque negotiis occupatus, per
alium substitutum fideliter scribi feci,
huicque publico instrumento meum con-
suetum Signum apposui, intertestimoniū præ-
missorum requisitus pariter et rogatus.